DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA COMPLECTENS SPECIMEN…

Carolus Mauczka

DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICA

COMPLECTENS

SPECIMEN CASUISTICES

QUAM

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

AC SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS

PRIVILEGIISQUE RITE OBTINENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

CAES. REG. UNIVERSITATE PATAVINA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

CAROLUS MAUCZKA

CZECHUS HLINSKENSIS

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis Palatio mensis Aprilis 1834.

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXIV.

Habent hae — id publicae utilitatis, ut perituras divitias conservent, posterisque tradant, alioquin interlapsuras.

Albertus de Haller.

FRATRI CARISSIMO

JOSEPHO

PAROCHIAE POTIECHENSIS

ADMINISTRATORI PROMERITO

IN

PIAE GRATITUDINIS AC SINCERI ANIMI

TESSERAM

TENUES HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAT

Amantissimus
Frater.

Perdilecte Frater!

Tandem mihi, quam per tot adfectavi annos, metam adtingere datur; ad quem longo adspiravi intervallo summum tandem adeptus sum honorem; quod restat adhuc, meum nunc est, at, quod jamdudum gratus exoptavit animus, publice TIBI solvam amoris fraterni gratitudinisque summae debitum tributum. Si nostrum est genitoribus omnem praestare pietatem ac venerationem; magistrorum benefactorumque memoriam animo prono grataque mente prosequi, diligenter grateque servare debere: quippe quum per illos vita tantum, per hos et dulci et beata fruimur vita: — aeque jure grates justissimas, amorem fervidissimum TIBI FRATRI conjunctissimus debeo frater. TUA enim sunt, quae cernis, TUO seminata auxilio TUIS germinarunt curis, TUIS et maturavère: TE duce Musaram ingressas sum templum, TE interveniente, ad quam impulsa quodam naturali me persensi proclivem, Apollineae arti quantum vires tulère studium navavi, in qua addiscenda saluberrima medicinae scientia rerum mearum TIBI semper summa fuit cura; tali enim pacto quaecumque in sanandis aut leniendis hominum morbis profecerim, et quidquid laudis mihi aliquando tulerim, id omne in acceptis TIBI referendis habeo; TU mihi matrem,

ehea ante diem ereptam, in signum, qaod hujus sanguis TUUM vivificat cor, reddidisti; TU mihi frater, imo pater fuisti.

Elapso lustri Hippocraticarum literarum curriculo onus adhuc urgens restat gravissimum examina subeandi rigorosa, ad quae praestanda non quidem deficit animus, sed premor alia magna difficultate; nallam enim adest auxilium, nulla adfulget spes; — ast solito more TU res meas medium fractas ad Janum, proprium spernens damnam, sufficienter restaurasti, erexisti, quod prius mihi impossibile erat, possibile effecisti. — En momentum — ! ! ! qao immortalem tai memoriam cordis mei grati omni impressisti fibrillae, quae mihi, per Deos immortales, manebit viva, dum superabit anima.

Accipe itaqae, quo me a cunabulis semper amplexas es, animo grato ac benevolo, publicam hanc gratiarum actionem pro amore fraterno cunctisque mihi praestitis beneficiis, sis mihi, qui semper fuisti FRATER, — o dulce nomen! ego enim TIBI ero, quousque spiritum ducere sors benigna mihi concesserit,

gratissimus
Frater.

PROLOGUS

Omnino deerat, quod ad publicum conscriberem judicium; nota enim fere omnia sunt, quae in medicina juvenis tractanda putarem; novaque et inaudita in medium proferre, quis eruditorum a medico scholam vix relinquente, temporis insuper presso angustiis hujusce generis desideraret? Ast perantiqua viget lex, qua quisque medicinae doctoris lauream adspirans, quod sibi maxime arridet, de objecto tractatum aliquem luci tradere jubetur; huic igitur legi ardentique desiderio aestimatorum D. D. Collegarum una satisfacturus, rem haud parvae selegi utilitatis; quae enim praxeos biennii curriculo in Clinice Vindobonensi assidue adnotavi colligendo morbis quibusdam a *clarissimo D. prof. Franc. Nobili ab Hildenbrand* casuistice pertractatis adjunxi. Quale autem tyroni medico inde scaturiat emolumentum, memorare sat sit, opusculum hoc ad mentem celeberrimi viri Nobilis ab *Hildenbrand*, magistri incomparabilis, digni, qui in arte sanatoria alter colatur Hippocrates, exaratum esse, quod scribenti mihi in casuum nonnullis, quae medicus ad aegrum faciendas habeat, interrogationes hujus responsis praemittendo, — in reliquis omittendo priores, — tali procedere ratione animus fuit, ut earum

primae quoad aetatem atque vitae rationem; *secundae* quoad morbos praegressos; *tertiae* quoad morbum praesentem, et *quartae* quoad statum morbi praesentem rato ordine instituendae suadeantur. Posita diagnosi therapiaque adnexa rationali varias practicas adnotavi regulas. Denique qua appendicem huic opusculo examen infantis atque puerperae, et quae medico post partum circa matrem ac neonatum observanda adjunxi.

Verum enim vero, antequam huic me labori subjecturus essem, nec adeo ignorabam, quid humeri ferant, quidque vires praestare recusent; quod nunc humeris imposui onus ipsum adgrediendo opus eo magis persensi, quo diutius attentiusque objecti gravitatem ambitumque perpendi, quantoque majoribus et rerum et temporis et aetatis et experientiae et virium pressua angustiis, quorum probe conscius, medicum judicem, ut, si qui primo huic tantamini adhaeserint, naevos benigno lustret oculo; si quod e contra tractatui huic tribueretur meritum, omnia posteritatis memoria digni magistri Nobilis ab *Hildenbrand* tribuat, iterum iterumque rogat

Dabam Patavii die 19 Martii 1834.

AUCTOR.

CASUS I.

Vocaris ad aegram, quae difficulter deglutit, cura. Quot annorum? 14. Cujus conditionis? Textrix. Qualis habitus? Vivax. Quibus jam vexata morbis? Nullis. Quando incepit morbus? Ante 4 dies. Quomodo incepit? Cum cephalea frontali, delassatione, siti et difficili deglutitione. An causam scit? Non. An usa remediis? Praeter theam nullis. An caput dolet? Dolet. An oculi suffusi? Sunt. An nares perviae? Non, obstructae. An cibos adpetit? Non. An sitit? Valde. Qualis sapor? Fatuus. Qualis lingua? Albido tecta muco. Aperto ore depressaque spatulae ope lingua fauces inspiciendo an rubeant ac tumeant? Rubent ac tument, praeprimis uvula partesque vicinae. Qualis vox? Illaesa. Qualis respiratio? Sana. Jubeo crura adtrahi explorans abdomen, an dolor observatur vel tumor? Nihil. Quomodo se habet alvus? Regulariter omni movetur die. Qualis urina? Non visa. An cutis calet? Calet. Qualis ejus conditio? Sicca. Qualis color? Hinc inde ruber, plagis sat amplis. An sub digito premente rubor evanescit et remoto digito iterum comparet? Ita. Quando adparuit hic rubor? Circa finem secundi diei morbi. Qualis pulsus? Accelerati, duri, suppressi.

Diagnosis. Praemissa rite perpendendo facili negotio de scarlatina nobis exsurgit idea.

Therapia. Qui phlogistico charactere gradus notatur levioris, morbus therapia antiphlogistica erit truncandus; hinc remedia emollientia, aperitiva, diaphoretica medico arrident rationali, ex quorum penu sequentia ordinare praeplacuit:

Interne: Rp. Rad. Alth. drach. duas.
Const. coq. c. s. quant. aq. c. p. ½ h.
Sub fine coct. solve:
Mannae elect. unç. unam.
Colat. libr. unius.
DS. O. hor. vasc. coff. semis tepidule.

In locum hujus medicamenti posset substitui et Decoct. Alth. c. Roob. Samb.

Externe. Collutorium ex lacte tepido; infuso Verbasci, flor. Tiliae, hb. Alth. etc.

Cataplasma emolliens calidum confectum ex farina seminum Lini cum aqua aut lacte, anticae colli adplicandum parti; e. g.
Rp. Farin. semini libr. unam.
DS. pro duobus cataplasm.

Alvus posset clysmate sollicitari sequenti:
Rp. Furf. tritic. unc. unam.
Coq. s. quant. aq. c. p. ¼ h.
Colat. libr. unius
adde:
Olei olivarum recent. unc. unam.
DS. pro duob. clysmat. tepidule.

Diaeta. Vescatur jusculis carnium meracis, tenuibus; maneat in lecto et evitet payxin solerter.

In complementum curae sequens praescribi potest medicamen:

Rp. Caul. Dulcam. drach. duas.
Consc. coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Colat. libr. unius.
adde:
Mucil. gg. arab. unc. semis.

MDS. O. bihor. vasc. coff. semis.

Notae: 1. In adfectionibus inflammatoriis organorum deglutitionis absint omnes sales, potusque acidi.

2. In morbis acutis medicamen omni porrigatur hora.

3. In morbis inflammatoriis remedia tepidule adhibeantur.

4. Collutorio quando utitur aeger ne gargariset, ne per motum, qui eo ponitur, tremulum, partium exasperetur inflammatio.

5. In scarlatina praecipue tria stadia notanda: stadium febrile, exanthematis et desquamationis.

6. Odor peculiaris scarlatinae praeprimis sub initio magnum hujus morbi signum diagnosticum. Haim.

7. Prognosis in scarlatina caute instituenda.

8. Qua praeservativum contra scarlatina etiam Belladonna, et quidem in minimis dosibus secundum Hahnemann.

CASUS II.

Cui venter dolet puella tuum exposcit auxilium. *Cura.* Quot est annorum? 18. Cujus conditio-

nia? Ancilla. Cujus constitutionis? Robustae. An saepius aegrotabat? Nunquam, si molimina ad menstrua excipias. Menses quando ingruère? 15 aetatis anno. Redierunt ne omni mense? Regulariter. Quando incepit hic morbus? Ante biduum. An causam scit? Inter lavandum. An fuit tempus catameniorum? Non. An caput dolet? Dolet. An sitit? Intense. Adpetit cibos? Non. Qualis respiratio? Parum citata, ceterum normalis. Estne abdomen expansum? Non. An aequalis consistentiae? Ita. An epigastrium sub attactu dolet? Non. An hypochondria? Nec haec. An circa umbilicum? Aliquid. An dolor adest ad hypogastrium? Sub levissimo etiam tactu valde exasperatur dolor. Qualis est ille dolor? Lancinans, constringens. Sub quali corporis situ melius se habet? Supino. An dolores ad hesperum exacerbantur? Ita. Habetne conatum vomendi? Habet. Persentitne sensum formicationis stuporisque in femore? Ita. Qualis est dermatis conditio? Transpirans. Qualis pulsus? Frequens, fortis, durus, plenus, aequalis. An usa remedus? Nullis.

Diagnosis. Hanc qui moliris, libero statum aegrae praesentem considerans animo, non inficiaberis *Metroperitonaeitidem* baptizaturus morbum.

Therapia. Haec sit antiphlogistica et quidem generosior. Choragum sistat phlebotomia ad libram unam; tune *interne* sumat Decoct. Altheae mannatum, a. Tamarindorum, a. Prunor. a. Pulpae Cassiae; s. Emulsionem spuriam ex oleo Ricini recent. presso. Potui inserviat Decoct. Hor-

dei, s. Salep c. pauxillo Sacchari; infus. flor. Verbasci c. syr. capillor. Veneris; s. infus. capillor. Veneris c. Sacch.—emulsio vera amygdalina, aut ex seminibus Melonum, quod et ideo melius, quia ob olei quantitatem minorem stomachum non gravat; parari etiam potest ex seminibus Cucurbitarum, Papaveris Rhoeados; vel etiam syrup. Rubi Idaei, aut conserva domi parata cum aqua potum constituant refrigerantem.

Externe. Cataplasma emolliens calidum ad hypogastrium dolens; praeterea pro fomento quasi interno inserviant clysteres tepidi ex decocto furf. trit. et oleo, praecipue cum alvus ex biduo haereat.

Adnotata. 1. Venaesectio nunquam negligenda, ubi inflammatio organi alicujus nobilis comite incedit febri; fracta vero phlogosi et perstantibus adhuc doloribus ad sanguisugas confugiat medicus oportet.

2. Cataplasma antequam excaluerit solerter mutandum, cavendum simul, ne sub ejus mutatione refrigerium capiatur.

CASUS III.

Cura quadragenarium qui a 3 diebus lumbagine laborat. Constitutione notatus macra, temperamento atrabilari, vitam ducit sedentariam, haemorrhoidarius, doloribus extremitatum, febri intermittente indeque orta hepatis obstructione decubuit. Inchoavit, qui coram est, morbus cum

symptomatibus febrilibus, uti: frigore, subsequo calore, siti flagrante, quae omnia vespere exacerbantur.

Causam eredit haustum vini recentis. Caput nunc dolet, lingua alba, sapor genuinus; respirium liberum; abdomen indolens quamquam expansum; regio lumbalis dextra valdopere dolet inaequalisque tangitur; quandoque singultit; lateri indolenti lubentius incumbit; sensus stuporis femoris dextri; alvus tarda, urinaa parcae, saturae, turbidae cum sedimento flavicante, sabuloso crustam formante, indicium uratem calcis vel ammoniae praedominari. Calor dermatis sicci mordax; pulsus frequentes, duri, pleni, fortes, aequales.

Diagnosis. Nephritis cum incipiente lithiasi.

Therapia. Venaesectio ad libram.

Interne: Decoct. Alth. mannat. omni hor. tepid. sumendum. Vel emulsio spuria olei Ricini rec. ad unc. semis aut integram c. aquae font. libr. una addito pauxillo Sacch. vel olei Lini, uti et decoct. seminum Lini.

Pro potu: Emulsio amygdalina vera.

Externe. Cataplasma emoll. ex farina seminum Lini, vel ex placenta eorum parti dolenti solerter adplicandum. Praeterea enema emolliens ob alvum haerentem.

Fracta tandem phlogosi calculorum arceuda genesis, quod obtinetur:

Rp. Semin. Lini rud. tus. unc. semis
Coq. c. s. q. aq. f. p. ¼ h. in
Col. unc. sex

Solve:
Natri carbon. drach. semis
Syr. Alth. unc. semis
DS. O. 2. bor. duo coch. cib.
R. Aq. mephit. alcalin. libr. semis
DS. Alternatim c. priori sumend.

Hujus virtutis essent: Carbonas Ammoniae, Liquor Kali carbon., aqua Calcis ad unc. sex c. sero lactis aut decoct. Lini; item aquae Sotoriae, Selteranae etc.

Externe: Unguentum Junip., aut Petrol. inungendum.

Notae. 1. In nephritide dolor continuus, lateri aut abdomini incumbendo augetur; in lithiasi e contra dolor intermittens, sub decubitu vario non augendus.

2. Renes raro ambo inflammatione corripiuntur, lubenter sinister prae dextro. Raimann. Nostro in casu qui anamneseos recordatur, non dubitabit, renem dextrum esse inflammatum.

3. In nephritide urina roseum deponit sedimentum; quod tamen, si cum lithiasi juncta incedit, flavicans observatur et sabulosum.

4. Sales tartrates in nephritide absint, pellunt enim urinam; absit decoct. Tamar. ob acidum, quod continet, tartricum.

CASUS IV.

Cura mulierem 25 annor. vehementer febricitantem, doloribus atrocissimis a coxa ad os sacrum sese extendentibus, femorisque motum omnem impedientibus vexatam.

Constitutionis floridae, semper sana, ancilla, morbus incipit cum doloribus supra memoratis, febri et vomitu, cujus ultimi et modo adest nisus; causam nescit, suspicatur nixum sub levando pondere, nullis adhuc usa remediis. Gravedo capitis, lingua ad radicem tantillum mucosa, adpetitus prostratus, sitis aucta; respiratio absque incommodo peragitur. Abdomen ad regionem epicolico-iliacam dextram dolet, qui dolor sub tactu augetur; alvus a triduo clausa, urinae sanorum absque ulla mittuntur molestia. Ad partem dolentem nec rubor, nec tumor; supine trunci adinstar cubat, crus dextrum non potest elevare ob dolores atrocissimos, motus tamen passivus, flexio videlicet conceditur absque dolore. Cutis moderate transpirans; pulsus frequentes, fortes, pleni, subduri, aequales.

Diagnosis. Psoitis biastica ex intentione nimia.

Therapia. Venaesectio ad libram.

Interne. Decoct. Alth. c. sale amar. et syr. Rubi Idaei. S. O. hor. vasc. semis. — Potui inservire possunt: Limonada; Emulsum amygd.; decoct. Hordei c. Oxymelle; infus. Verbasci; decoct. tenue Oryzae etc.

Externe: Hirudines n.° 12 in aliqua distantia a loco doloris. Clysma ex decocto furf. trit. vel semin. Lini c. oleo. Cataplasma emoll. ad part. adfectam.

Nota. Psoitis confundi posset cum cotylitide. In pervestigatione hujusce morbi sequenti procedendum ratione: tentanda est flexio femoris et

spontanea et per manus alius, post hanc iterum extensio voluntaria. In psoitide aeger femur adtrahere nequit, ab alio autem ejus femur absque dolore aucto versus abdomen moveri potest, quod adtractum etiam absque notabili dolore extendere valet; psoas enim et ilias sunt flexores femoris, inde sub flexione activa dolor. In cotylitide econtra dolor sub quolibet motu et activo et passivo augetur.

CASUS V.

Vir 40 ann. noctu ob dolores in pede dextro expergefit, 3. abhinc die te in auxilium vocat, cura.

Individuum floridum, mando abutens pinguibus aromatibusque, obesum, ventricosum, haemorrhoidarium, febribus frequenter vexatum intermittentibus; hoc tamen prima vice invaditur morbo; causam psyxin accusat; orditur cum frigore, subsequo aestu, polydipsia, dedolatione universali; hucusque absque medicamine. Nunc capite laborat, lingua alba, anorexia, organorum respirationis functio normae suae congrua; abdomen grande, indolens; alvus pigra, urina parca, satura, sedimentum deponens rosaceum; dolor, tumor insignis, rubor intensus, circumscriptus, juncturam halucis cum metatarso sedam agnoscunt; cutis calet; sphygmus fortis, plenus, aequalis.

Diagnosis. Arthritis podagrica comite febri.

Therapia. Venaesectio ad libr. 1. instituatur.

Interne: Decoct. Alth. tamarind. c. sale amar.

tepid. *Pro potu*: Decoct. Gram. c. Nitro puro tepid.

Externe: Catapl. emoll. ad partem dolentem. Fracta phlogosi diathesin habebis debellandam, quem in finem praeter alias sequentes nobis arrident formulae:

Rp. Extr. Tarax.
—— Cichor.
—— Trifol. fibr. ana dr. unam
Sal. Ammon.
Pulv. Rhei Chin. ana dr. semis
—— Calam. aromat. q. s., ut f. mass. pil., ex qua form. pil. pond. gr. trium, consperg. pulv. cort. Cinam., d. ad scat.
S. quater de die pilulae 5.

Vel

Rp. Aloes soccotr.
Extract. Aconit. ana dr. semis
—— Trifol. fibr. dr. unam
Pulv. Calam. arom. q. s., ut f. mas. pil., unde form. pil. pond. gr. 3, consp. pulv. cort. Cinam., d. ad scat.
S. Ter de die pil. 8.

Rp. Gumm. resin. Guajac. nativ.
Antimon. crud. ana dr. unam
Pulv. Rhei
Extr. Dulcamar. ana scr. duos
—— Tarax. q. s., ut f. m. pil. form. pil. pond. gr. 3, Consp. pulv. cort. Cinam., d. ad scat.
S. Ter de die pilulae quinque.

CASUS VI.

Cura virum 45 ann., temperamenti melancholici, macilentum, qui ante 4 menses febri detinebatur quartana, qua cortica peruviano truncata, relicta est indigestio cum variis incommodis viarum primarum, antea nullis tentabatur morbis. Color faciei est squalidus, albuginea plumbea; lingua albo obtecta muco; sapor fatuus, jam vero amarus; respirium sub scalarum adscensu fit difficile; abdomen grande expansum, ad hypochondrium uterque tumor tangitur durus, indolens; alvus segnis omni 4 aut 5 die caprina, ut ita dicam, deponitur, color cutis squalidus; pulsus inaequalis.

Diagnosis. Induratio hepatis et lienis.

Therapia. Indicata sunt solventia, uti:

Rp. Rad. Tarax.
—— Cichor. ana unc. unam
Consc. coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Colat. libr. unius fort. expr.
adde:
Arcan. dupl. unc. semis
D. S. O. 2. hor. vasc. coff. semis
Vel
Rp. Extr. Tarax.
—— Fumar. ana dr. duas
solve in
Aq. Chamom unc. sex
adde:
Liquor. terr. fol. Tartar.

Infus. Rbei Cbinen. ana unc. unam.
M. D. S. O. 2 coch. cib. unum ad duo.
Rp. Sapon. medic.
Pulv. Rhei ana dr. duas
Sal. Ammon. dr. unam
Syr. Cichor. c. Rheo q. s. ut f. mas. pil. form. pil. gr. 3.
Consp. pulv. liquirit. d. ad scat.
S. Ter de die pil. quinque.
Rp. Gum. Ammon.
Pulv. Rbei ana dr. unam
Aloes soccotr. dr. semis
Mucil. gg. arab. q. s., ut f. mas. pil. form. inde pil. gr. 3.
Consp. pulv. semin. Lycopod. d. ad scat.
S. Ter cl. d. pilul. quinque.

Pro potu: Vina acidula cum aqua, vel serum lactis, vel decoct. Gram. etc.

Victus: Vegetabilis, spinacea, rapa, brassica ferm., lactuca sat., caro vitulina, fructus borrei, uti pruna, poma; absint legumina victuaque farinaceus etc.; motus vel activus, vel passivus commendatur.

Externe. Ad vesperas omni die sapone inungat abdomen, serius cum linimento volatili; vel unguento Neapolitano etc. Item balneum universale cum sapone.

Notae. Magnam sibi promeruerunt laudem bis in casibus aquae soteriae, 1. solventes, 2. purgantes, et in fine curae, 3. roborantes. Ad primas pertinent: acidulae alcalinae, uti aqua Bili-

nensis etc. Ad secundas referuntur acidulae sulphuricae, *a.* amarae cum praevalente Magnesia sulfurica, uti: Saidschützensis, Sedlitzensis et Püllnana ab unc. sex ad libr. pro nycthemero; *b.* cum praevalenta Soda sulphurica, uti: acidula Egrana salina. Ad roborantes ferro soluto potes spectant, uti: aquae Egranae ferratae, aqua Koenigswartensis etc.

2. Aquae soteriae aut potu bauriuntur, aut lavando adhibentur. Dosis quotidiana generatim incipit a libra una paulatim ad libr. 4 adscendendo portionibus tamen divisis, quarum singula inter unc. 4—6 fluctuat, omni ¼ hora, serius omni ½ hor. baurienda. Ventriculo sensili cum lacte, torpido vero c. vino offeruntur. In genere ventriculo jejuno, in debilibus individuis tamen inter jentaculum aut prandium suadendae.

CASUS VII.

Vir 43 ann. a mense uno respiru difficultate laborat, constitutionis laxae, temperamenti phlegmatici, scrinarius, bibo, catarrhis saepe obnoxius. Incepit hic morbus insensibili ratione cum respirii difficultate de nocte praeprimis, nec non corporis sub motu pedetentim increscendo; causam ignorat; bucdum absque auxilio ullo. Nunc quem hesperus exacerbat, capitis vexatur dolore; palpebrae oedematosae, labia oris livida, lingua alba, bumida, sapor naturalis, sitis multa, adpetitus prostratus; tussicula cum paucis sputis salivalibus; respiratio anxia, citata, sub qua pectoris

persensit angustationem, quod juxta normam percussum non resonat; nec ad latus quodcumque vis, nec supine cubitus ob metus suffocationis concessus, sed semi-sedens brachiis suffulsus (Orthopnoea); abdomen tangitur molle indolens; urina pauca, flava absque sedimento; alvus segnis; pedum ad malleolos tumor, cuti concolor, pastaceus, frigidus; derma siccum, molle, laxum; pulsus inaequalis, remittens, subdurus, moderatoque fortis.

Diagnosis. Hydrothorax.

Therapia. *Interne:* Decoct. Gram. libr. unam c. Crem. Tart. et Oxym. squill. ana unc. semis. S. O. 2. hor. vasc. coff. semis. Ob alvum segnem. Aq. lax. Vien. unc. tres. S. Sumat 3 vicibus. Potui inserviat decoct. Hordei c. acido tartr., v. Nitro.

Externe. Secretio vicaria illi in pectoris cavo contingenti analoga ut obtineatur, vesicans pectori sat largum erit adplicandum.

Serius inter alia medicamina praesertim sequentia nobis arrident, sub his formulis:

Rp. Rad. Squil. mar. rec. gr. sex
Crem. Tart.
Sacch. alb. ana dr. semis
M. fiat pulv. div. in dos. aeq. N.° sex d. ad chart. S. O. 2. hor. pulv. unus.
Potenter solvit:
Rp. Gum. Ammon. dr. semis
Subige suf. q. vit. ovi
solve in
Aq. Junip. unc. sex

adde:

Liquor. ter. fol. Tart. dr. tres

Oxym. squil. unc. semis

M. D. S. O. 2. hor. a coch. cib.

Ad expectorationem adjuvandam:

Rp. Extr. Squill. mar. gr. duodecim

—— Dulcamar. dr. duas

solve in:

Aq. Foenicul. unc. sex

adde:

Rooh Junip. unc. semis

Sal. Tartar. dr. semis

M. D. S. O. 2 hor. duo coch. cib.

Qua solvens:

Rp. Extr. Lactu. viros. gr. sex

solve in:

Aq. Hyssop. unc. sex

adde:

Oxym. squil. unc. semis

M. D. S. O. 2 hor. duo coch. cib.

Vel

Rp. Extr. Squil. mar. gr. duodecim

—— Cichor.

Liq. terr. fol. Tart. ana dr. duas

Rooh Juniperi

Oxym. squil. ana unc. semis

M. f. electuarium. D. S. Cochleat. sumendum.

Adnotata. 1. In pervestigando thorace percussionis ope methodus sancitur sequens: Aeger sedens trunco erecto inspirationem trahere jubetur profundam, quam quantum possibile protrahat,

necesse est; hoc igitur momento apicibus digitorum primo sternum, tunc latus thoracis quodlibet et demum dorsi latus percutitur utrumque. Ex sono, quem tali ratione edit pectus vario ad variam illius cavitatis viscerumque in eadem reconditorum concluditur conditionem. — Utuntur hunc in finem medici nonnulli tubo ligneo, seu, ut vocant stetoscopio, quem praeeunte celebr. Laennec summi aestimant, cui pectori variis in locis imposito, aurem admovendo multa variaque audire contendunt, et revera vix spernenda; alii autem eousque seducti sunt, ut sit venia phrasi! audiverint, quomodo Jupiter duxerit Junonem. 2. Altercant inter se medicorum nonnulli, utrum remediorum in hydrothorace majoris habendum sit, num vesicans an fontanella. Ast Hippocratis filius omnis, quos exserunt debite considerans effectus varios, facili perspiciet negotio, vesicans producendo secretionem fluidi serosi fontanellis hoc in casu valde praeferendum esse, quae suppurationis econtra ponunt metamorphosin; hinc ultimae in casu ubi in organo aliquo interno suppuratio delitescit, suam praestabunt efficaciam.

CASUS VIII.

Juvenis 20 annor. a quatuor septimanis artuum vexatur doloribus, cura. Habitus est floridi, studiosus, semper pancratica gavisus salute; incepit dolor primo in extremitatibus superioribus, dein in inferioribus, tensivus, lancinans, lecti tepore exacerbatur, medius in ossibus fit pulsativus, so-

mnum arcens, sub tactu non augendus, nec impeditus motus. Cutem papulae defoedant rubrae, non prurientes levique terminantes desquamatione; dolores isti cum cacodermatis coaetate eandem, qua incepère, ludentes scenam. — Causam nescit, sordidae quidem et multivagae Cypridis dolosis indulsit blandimentis, unde in penis phalange ulcuscula sibi contraxit, sed remediis profanis, cineribus nicotianae nempe adhibitis disparuère quidem; at nec, quae adhibitis gargarismatibus jam cessavit, anginae casum effugere potuit. — Quod reliquas adtinet organismi functiones, nil offert morbosi. Mercurialibus nondum est usua.

Diagnosis: Ostealgia syphilitica.

Therapia. Interne: Rp. Calom. laevig. gr. sex; Sacch. alb. dr. unam; M. f. pulv. div. in dos. aeq. n.° sex, d. ad chart.; S. Mane et vespere pulvis unus.

Nota. Addi possent bis pulveribus Opii puri gr. tria, praeprimis, si medico res est cum individuo sensili.

Insuper Decocti ex rad. Bard. et Salsapar. ana dr. duabus ad colat. lib. unius omni 2 hor. vasc. coff. semis hauriendum.

Pro potu: Lign. Guajaci, Rad. Bard. ana unc. semis, Stipit. Dulcam. dr. duae per ½ hor. coquantur ad colat. librae, cui adde: Roob Junip. unc. semis. Vel sequens Decocto-infusum:

Rp. Ligni Guaj.
Rad. Bard. ana unc. semis
—— Lapat. acut. dr. duas.

Consc. coq. c. s. q. aq. c. p. ½ h.
Sub fine coct. infunde:
Rad. Liquirit. dr. duas
Stent in infusione calida p. ¼ h.
Colat. libr. unius exhib.
S. Potus.

Diaeta: Juscula carnium, oleracea, fructus horrei, absint omnia acida.

Si morbus per aliquot septimanas continuaverit, tunc ad unctiones Ung. Neapol. transeundum esset, — dein ad Mercur. sublim. cor., tandem ad Merc. praec. rubrum.

Inunctionum quaelibet ad dr. semis Ung. Neap. quotidie tali instituenda ratione, ut, praemisso balneo universali, aut lotionibus c. aq. saponata abrasisque capillis, prima in interna surae facie; secunda in eadem facie femoris; tertia in inguine et lumbis; quarta in extremitatibus superioribus; quinta iterum in suris etc. instituatur, dosin ung. temporis tractu ad drachmam augendo.

Remittunt quidem dolores, sed intumescunt ossa (tophi, serius exostoses), quare:

Rp. Merc. subl. corr. gr. duo
Solv. in s. q. aq. dest.
Micae pan. alb. rec. dr. unam
M. exactiss., ut f. pilulae n.° 32
Consp. pulv. Liquir., d. ad scat.
S. O. 3. hor. pilula una.
Serius dosis augenda, ut
Rp. Merc. subl. cor. gr. quatuor
Opii puri gr. octo

Extr. Dulcam. dr. semis
Pulv. Acor. q. s., ut f. mas. pil., ex qua f. pil. n.° 16.
Consp. pulv. Liquir., d. ad scat.
S. Mane et vespere pil. una.
(Simili ratione et dosi etiam Merc. praecip. ruber praescribitur).

Notae: 1. In lue venerea Calomel minori dosi et majoribus porrigendus interstitus.

2. Pulvis Calomelanos non cum aqua sumendus, sed linguae tradatur subito deglutiendus osque aqua eluatur deglutienda, ne praematurus cieatur ptyalismus; — in vitris enim cum aqua quando sumitur Calomel fundum petit, et aeger pro Mercurio dulci Saccharum sumit in aqua solutum, unde non mirum, si medicus Calomelanos desideratam mirabundus frustra expectat virtutem.

3. Omnem inunctionem in interna extremitatum facie instituendam esse anatomiae gnaro facile erit perspectu; dantur enim hic locorum vasa absorbentia numerosiora.

4. Quamprimum ptyalismi indicia adparuerint, medicus rationalis illico ab hydrargyraceis, — pro tempore saltem, — abstinebit, gradui ptyalismi therapiam adcommodaturus.

5. Ptyalismus non est necessarius ad morbum syphiliticum debellandum, sed magis qua punctum saturationis considerandus.

CASUS IX.

Cura juvenem, qui a 5 diebus difficultate deglutitionis vexatur et febri.

Habitus et constitutio florent, temperamentum sanguineum, scrinarius. Incepit morbus cum difficili deglutitione et febri symptomatica ad vesperas semper exacerbata; causam nescit, fatetur tamen, quod ante aliquot dies unguento quodam a vetula porrecto Morpiones debellandi causa usus sit. Caput dolet, facies turget, oculi suffusi, photophobi, cavi oris ardor molestus, sitis aucta, sapor metallicus, lingua alba, turgida, inspectio faucium denegatur, loquela balbutiens, halitus foetens, dentes spurci, salivae uberior secretio, deglutitio valdopere difficilis, conatus vomendi; respiratio et abdomen ad normam, alvus ex triduo baeret, urinae non visae; regio inuncta cinerea conspicitur sorde infecta; derma calet, pulsus frequentes, fortes, pleni, aequales.

Diagnosis: Glossitis mercurialis.

Therapia: Venaesectio ad libram.

Interne: Decoct. Alth. mannat. tepida parcaque sorbillandum dosi.

Pro potu: Dec. Hordei, v. Emuls. amygd.

Externe: Catapl. emol. ad jugulum; collutorium ex lacte c. aqua remixto; — mucilagine semin. Cydon. illinienda lingua arescens; — Enema ex decoct. furf. trit. cum oleo.

Abacta tandem febri, peratante autem ptyalis-

mo, adstringentia localia et antidota contra Mercurium erunt ordinanda, quae sunt: Dec. Lignorum, Inf. Herb. Salviae c. melle rosato, c. Borace, c. Alumine; vel Tinct. Myrrhae, Cochlear., vel Camphor.; aut inf. Rutae cum modo enumeratis; item Dec. Bardanae, Stipit. Dulcam., ligni Guaj., Sassaf., Sarsapar. c. Arcano dupl.; flor. Sulf. cum Crem. Tart.; Kali sulphurat., uti: Rp. Flor. sulf. dr. unam, Crem. Tart. unc. semis. M. f. p. div. in dosea aeq. n.° 6, d. ad chart. S. O. trih. pulv. unus. — Vel. hepar Sulphur. ad gr. x.— scr. unum intra nyctbemerum vel in Electuario, vel in pilulis. Rp. Hepat. Sulpb. dr. semis, Extr. Dulcam. dr. unam. Pulv. rad. Liquir. q. s. ut f. m. pil. ex qua form. pil. pond. gr. trium; consp. pulv. Liquir. d. ad scat. S. Ter de die pil. 5.

Nota. Jubendum, ut pilulae haec adserventur in loco sicco, secus Hepar Sulpb. humores adtrahendo diffluit.

CASUS X.

Cura puerum 6 ann., qui a 4 circiter mensibus languet, moeret et sub vesperas fcbricitat. — Constitutionis gracilis; incepit morbus cum moerore, taedio lusus, adpetitu prostrato, alvo inordinata, modo diarrhoica, modo obstructa, vermes secesserunt et in specie Ascarides Lumbricoides. Cephalea nunc praeprimis ad vesperas gravis; albuginea plumbea, pupilla dilatata, nares non amplius uti prius fricat, quarum pinae tument, stillicidium ex naribus mucosum, labia oris tument,

lingua albicans, adpetitus prostratus, glandulae submaxillares tumidulae; respirium quidquam citatum; abdomen expansum, tumidum sub pressione rudiori dolens praeprimis in regione mesogastrica; digitorum apicibus explorando eminentiae circumscriptae in regione deteguntur umbilicali sub pressione dolentes. Excreta parca, pultacea, intra tres dies semel deponuntur, urinae claiae; calet cutis delicata, venae varicosae transparent; pulsus naturalibus frequent., parvi, molles.

Diagnosis. Atrophia mesenterica comite febri nec non suspicione Mesenteritidis.

Therapia. Rp. Decot. Alth. libr. unam, adde solvendo: Sal. amar. dr. duas, Extr. Gram. dr. unam, Syr. Alth. unc. semis. M. D. S. O. bih. vasc. coff. semis.

Externe: Catapl. emol. ad abdomen. — Clysma emol. c. oleo.

Serius: Rp. Extr. Tarax., Cichor. ana dr. unam, solve in aq. dest. simpl. unc. sex, adde: tinct. Rhei aq., Syr. Cichor. c. Rheo ana unc. semis. M. D. S. O. bih. coch. cib. 2.

Perstante abdominis volumine: Rp. Muriat. Baryt. gr. sex, solve in aq. dest. simpl. unc. sex, adde: Syr. Cich. c. Rheo unc. semis. M. D. S. O. bib. 2 coch. cib.

Nota. Post tres dies omni die augeatur dosis Muriat. Baryt. gr. uno; indicia tamen puncti saturationis, uti: siccitas faucium, tussis, cardialgia, nisus vomendi, quando supervenerint, illico ab hoc remedio abstinendum.

Possunt et exhiberi: Aethiop. Antim., Sulph. aurat. Antim., Calomel etc.

Potui inserviat: Decoct. ex rad. Tarax., Gram., Bard. et Stip. Dulcam.

Externe. Lotiones saponaceae, balnea solventia cum sapone, lixiva vel sale culinari (Muriates optime solvunt).

Serius: Rp. Ung. Hydr. ciner. dr. duas, ung. Alth. unc. semis, M. D. S. Mane et vespere ad magnitud. nuc. avellanae abdomini inungendum.

Notae. 1. In gratiam helminthiaseos cura esset modificanda cum remediis anthelm., uti: cum rad. Fil. Maris, semin. Santonici, Tanact. etc.

2. Sub omni exploratione partis cujusdam tumidae diligenter inquirendum, undenam haec suam repetat originem, utrum a corpore quodam solido, duro aut molli (depsatione); utrum a liquido quodam (fluctuatione); vel a gase quodam aereoformi (percussione) extorquendum.

CASUS XI.

Cura feminam 25 ann., quae a pluribus jam mensibus doloribus in abdomine rodentibus torquetur. — Macilenta temperamenti cholerici, textrix, laboravit febri intermittente tertiana, turbis gastricis: dyspepsia, cardialgia. Menstrua 18 aetatis anno comparuère, quae irregularia et pauca semper fluxère; victu fruitur depravato. — Caput dolens, vertiginosum, pupilla dilatata, lingua albicans, sapor subacidus, ructus frequenter et vomitus materiae ingestae et succi gastrici; sensus

globi cujusdam in colli parte anteriori per vices adparens; respiratio normalis, palpitatio cordis praesertim tempore doloris cum levi lipothymia, dolor rodens ad epigastrium usque ad umbilicum sese extendens per vices praesertim tempore matutino rediens, sub tactu rudiori non augendus, per indeterminatum tempus durans, sumto certo cibo: lacte, evanescit, tempore menstruationis quidquam remittit; ceterum abdomen liberum licet tumidulum; alvus pigra, particulae vermis complanati jam saepius secesserunt; urinae normales; pulsus parvi, contracti.

Diagnosis. Gastrodynia ex Taenia Solium.

Therapia. Rp. Inf. laxat. Vienen. unc. sex. D. S. pro tribus haustibus. — Dein Enema injiciendum ex dect. furf. c. oleo et sale culinari.

Praeterea. Rp. Cort. rad. Punic. Granat. unc. duas, ruditer tusam coq. c. aq. font. lib. duabus ad remanentiam librae unius; Colatura D. ad vitr. S. O. ½ hor. vasc. coff. aemis (Ad mentem immortalis Hartmanni).

Altero die mane: Rp. Olei Ricin. recent. unc. unam, Mucil. gg. arab. q. s. ad perf. subact., subactis continuo terendo sensim adfunde: Aq. font. unc. octo, adde: Sacch. alb. dr. duas. D. S. O. h. vasc. coff. aemis. — Hartmann.

Si hujus remedii usum nullus sequeretur effectus, tunc post aliquid temporis sequens exhiberi possit remedium: Rp. Extr. Fil. Maris aethr. resinos. scr. unum, pulv. Fil. maris q. s. ut f. pilulae n.° xx, consp. pulv. Lycopod. d. ad scat.

S. O. trih. pil. quinque. — Si et hoc remedium sine effectu, ad methodum Noufferianam, quae in sequentibus consistit, confugiendum.

Vespere sumat panatellam ex aq. libr. una et semis, butyr. recent. unc. duas et pane albo quantum s. ad conflandam.

Mane autem pulveres sequentes: Rp. Pulv. radic. Filic. maris dr. duas, divid. in dos. aeq. n.° VI, d. ad chart. S. O. ½ hor. pulv. unus. — Enema oleosum. — Post spatium unius horae pulv. drasticos sumat sequentes: Rp. Calom. laev., pulv. Gum. Guttae ana scr. unum, pulv. rad. Jalap., Sacch. albi ana dr. unam. M. f. pulv. div. in dos. aeq. n.° IV d. ad chart. S. O. hor. pulvis unus.

Irritatio a drastico producta mucilaginosis, emollientibus adgrediatur. Externe catapl. emoll. ad abdomen.

Vermis secessit, caput vero hujus non visum; nunc debellata irritatione cum diathesi verminosa res nobis ultima est, hinc: Rp. Olei Chaberti unc. unam. D. ad lagenam bene obturatam et charta nigra velatam. S. O. trih. cochl. coff.

Notae. 1. Nunquam remediorum anthelminthicorum et evacuantium instituatur usus, priusquam de praesentia vermis signa indubitata adfuerint, id quod dejectae partes quaedam taeniae probant. Praeter alia medicamina hunc in finem etiam rad. Dauci Carotae jejuno ventriculo assumta, vel solutio Salis amari commendatur a C. Bischoff.

2. Mitiora remedia semper praeferenda fortioribus, ideo priora prius in usum trahenda ante-

quam posteriora adhibeantur; experientia enim teste saepe remedia lenia domestica vermem depulerunt medicamentis fortissimis rebellem; hoc scopo convenit etiam plura mitiora remedia anthelminthica in connubio propinare; nam saepe vermis uni cedit remedio, alteri vero victas dare manus recusat.

3. E remediis evacuantibus ea seligenda, quae simul virtutem anthelm. in se unitam gestant; e purgantibus vero fortiora, quae nempe eliminando hosti paria esse constat.

4. Antequam autem methodi cujusdam fortioris usus instituatur probe status aegri perpendendus.

CASUS XII.

Quadragenarius ex taberna cum crapula exiens improvise cecidit. Conscientia abolita, oculi protuberant, facies turgida, pupilla dilatata, aphonia, respiratio profunda, stertorosa; pulsus acceleratus, durus; motus voluntarii nulli, habitus apoplecticus.

Diagnosis. Apoplexia sanguinea.

Therapia. Deportetur statim in domum proximam, removeantur vestes superfluae, si quae adsunt fasciae solvendae, collocetur in lecto supine capite quidquam erecto; fiat illico venaesectio in brachio ad libram; hirudines retro aures n. xii. adplicandae, sinapismi ad pedis dorsum, vel ad regionem poplitеam, quae prius panni ope perfricanda est. — Fomenta frigida Schmuckeri ad frontem et tempora solerter mutanda, h. e. lintea

sequenti imbuta mixtura: Rp. Nitr. crud. unc. duas, Ammon. mur. unc. unam et semis, Aq. font. libr. quatuor, aceti vini libram. — His non prostantibus aqua glacialis substitui potest. — Clyster ex decocto furf. trit. c. sale culinari et oleo.

Post aliquod tempus jam os diducit, motus quosdam jam exercet, pulsus fiunt liberiores. — Venaesectio reiteranda ad libram. Clyster non est evacuatus, ergo fortior ex aqua laxativa (Aut clysma ex decocto furf. trit. c. gutt. I—II—III Olei Crotonis c. unc. duabus olei lini opa vitel. ovi subactis).

Deglutitione possibili praemissa, si indicata est, venaesectione emeticum exhibendum: Rp. Tart. emet. gr. quatuor, solve in aq. dest. unc. quatuor. D. S. Ori instillandum. — Vel faucas irritandae sunt cum barba pennae.

Stupor capitis continuat, nec non tarditas quaedam in loquendo, hinc ordinandum: Rp. Rad. Gram. et Tarax. ana unc. unam. F. decoct. Colat. libr. unius, adde: liquor. terrae fol. Tart. dr. duas. M. D. S. O. bih. vasc. coff. semis.

Notae. 1. In apoplexia hirudinea retro aures non autem in regione temporali adplicandas esse sequentia suadent momenta:

a. Copiosiora latioraque retro aures sita vasa.

b. Nexus vasorum immediatus cum cerebro ob vicinas suturas foraminaque cranii.

c. Earum actio derivantis simul vices agens ob cerebrum superius positum.

2. In apoplexia sanguinea acetum radicale na-

ribus admoveri potest, non autem alia stimulantia, ne congestio adaugeatur.

CASUS XIII.

Vocaris ad aegram in suffocationis versantem periculo. — 50 ann., constitutionis macrae ac tenerae; vitam ducit sedentariam; saepius jam aegrotavit, et quidem febri intermittente; saepius hysterismo et spasmis corripiebatur; difficultas respirii et catarrhus erant morbi, quibus frequenter vexabatur; 10 feliciter enixa est proles; a 5 annis jam silent menses, ex quo tempore semper valetudinaria. Praesens morbus incepit hodie mane cum angustationis sensu in pectore; causam credit auram frigidam, quam fenestras aperiendo calente corpore inspiravit. Modo cephalea adest, lingua pura, sapor normalis, ructus nullus; sub in-et exspiratione sibilus cum anhelitu; difficultas respirii a momento invasionis semper crescit et quidem sine induciis; tussis nulla; vomitus nullus; palpitatio cordis; abdomen liberum, sed ad insertionem diaphragmatis sensum percipit dedolationis; alvus ex biduo baeret; urinae limpidae, aquosae; color cutis pallidus tendens ad livorem; derma siccum frigidumque; pulsus paene filiformes.

Diagnosis. Quamprimum, quae ex anamnesticis atatque praesenti eruuntur, perspexeris; illico, qui coram est, morbum *Asthma spasmodicam* adpellandum non dubius haerebis.

Therapiam adhibebis spasmos solventem, uti:

Rp. Extr. Valer. sylv. dr. unam, solve in Aq. Chamom. aq. Meliss. ana unc. tribus, adde: Laud. liquid. Sydenh. scr. unum. M. S. O. bih. cocb. cib. unum.

Externe: Sinapismus pectori adplicandus 6 poll. long. et 4 pol. latus; praeterea enema ex inf. Chamom. conf. injiciendum tep.

Post biborium redis, ast levamen nullum, hinc ut aegra sublevetur, praescribis pro usu interno: Aq. Chamom. unc. unam c. Laud. liq. Sydenh. gutt. XVI, c. S. ut tribus sumatur vicibus; praeterea:

Rp. Mosch. orient. opt. gr. sex
Flor. Zinc.
Extr. Hyosc. ana gr. tria
Sacch. alb. dr. unam
M. f. pulv. div. in dos. aeq. n.° sex d. ad chart. S. O. bib. pulv. unus.

Rp. Aq. Valerian. Sylv.
—— Naphae ana unc. unam
—— Laurocer. dr. unam
Syr. cort. Aurant. unc. semis
M. D. S. O. 2 hor. alternatim cum pulv. sumend.

(Hujus farinae sunt: Aq. Lauroc., Asa foetida, Castor., Flor. Zinc., Liquor C. C., Moschus, Opium etc.).

Externe. Enema:
Rp. Flor. Chamom. dr. duas
Inf. s. q. aq. ferv. p. ½ hor. v. cl.
Colat. lib. unius

adde:

Asae foet. vitel. ov. unius subact.

dr. unam

M. D. S. pro trib. clysmat.

(In locum vitel. ov. muc. mucil. gg. arab. posset substitui).

CASUS XIV.

Vir 30 annorum a duobus septimanis adpetitu prostrato laborat, macilentus, scriba, temperamenti subcholerici, vitam ducit sedentariam, animi pathematibus angitur deprimentibus; causam ignorat; caput liberum, lingua pura, sapor normalis, sitis modica; respiratio illibata; abdomen omni sub respectu normale quando excipias in ventriculo sensum oppressionis post pastum, — vomitus nullus. Alvus rara, sicca; urinae sanorum, cutis et pulsuum conditio omni ex parte normalis.

Diagnosis. Anorexia (ex atonia organorum digerentium in gratiam vitae sedentariae animique adfectus deprimentis).

Therapia. Rp. Extr. Tarax. unc. semis, solve in aq. Chamom. unc. sex, adde: tinct. Rhei aq. unc. duas. M. D. S. O. hib. duo coch. cib.

Vel. Rp. Extr. Centaur. et Cichor. ana dr. duas, solve in aq. Foenic. unc. duabus, adde: tinct. Rhei aq. unc. duas. S. eadem.

Vel. Rp. Extr. Gentian. et Absinth. ana dr. unam, solve in aq. Meliss. unc. sex, adde: tinct. Cinam. dr. unam. M. D. S. eadem.

Vel. Rp. extr. Trif. fibr. dr. duas, solve in aq. Menth. crisp. unc. sex, adde: Liquor. mineranodyn. Hofman. dr. semis, tinct. cort. Aurant. dr. unam. M. D. S. eadem.

Vel. Rp. Rad. Calam. aromat., Zingib. ana dr. duas, f. inf. ferv. p. ½ hor. vase cl., Colat. unc. sex, adde: Spirit. Carminat. dr. unam, syr. cort. Aurant. unc. semis. M. D. S. eadem.

(Si flatibus vexatur, optime conveuit Foeniculum).

Diaeta. Vescatur jusculis carnium concentratis cum incocto levi, item carne vitulina assata, prunis coctis, aut pomis cum vino et aromaticis conditis, saepius de die modice comedere tentet; nec negligendum exercitium et motus.

CASUS XV.

Cura puerum epilepticum septennem, babitus cachectici, pastosi; facies squalida tumidaque. Dentes jam mutavit; ab anno aeger; incepit morbus cum morositate, indigestione, a tribus hebdomadibus epilepsia modo diu, modo noctu bis terve repente corripitur, aufertur conscientia, contrahuntur pollices, spumat os, cujus insultus causam et ille ignorat et parens. Ceterum puer edax, praediligens farinacea et lac; hucusque nullum sumsit medicamen. Caput nunc liberum, sclerotica, praesertim absoluto insultu, plumbea et pupilla dilatata; pruriunt nares, albescit lingua cum papillis elevatis et rubris. Abdomen tumidum aequabile, pastae adinstar; alvus inordinata, modo

diarrhoica, clausa modo, vermes secessère frequentes, teretes, filiformes, rubicundi 6-8 pollic. longi (Lumbricoides); cutis laxae pallor; pulsus naturalis.

Diagnosis. De Helminthiasi cum Epilepsia symptomatica hic agi nemo dubius haerebit, phaenomenorum cuilibet suum quando tribuerit valorem.

Therapia. Ut alvus cieatur, Aq. lax. Vien. unc. quatuor c. Arcani dupl. dr. duabus, S. Tribus hauriat portionibus. — Tunc sequens anthelminthicum.

Rp. Pulv. semin. Santon.
Extr. Tarax ana dr. duas
—— Valerian. sylvestris
Extr. Tanacet ana dr. unam
Mel. despum. q. s. ut f. Electuarium.
D. S. O. 2 hor. coch. cibar.

Die abhinc 4 insultus continuat epilepticus; nulli adhuc abiere vermes, alvus segnis; hinc: Rp. Pulv. rad. Jalap. scr. unum, Calom. laevig. gr. quatuor, Sach. albi dr. unam. M. f. pulv. div. in doses aeq. n.° 4, d. ad chart. S. O. 4 hor. pulv. unus. — Tunc. Rp. Extr. Tarax. et Valerian. ana dr. unam, solve in Aq. semin. Foenic. unc. quatuor, adde: Syr. cort. Aurant. unc. semis M. D. S. O. bih. coch. cib. duo.

Die subsequo vermis non secessit; epilepsia intensitate increvit; status pituitosus; hinc therapia sequenti est mutata modo: Rp. Pulv. Filic. mar. scr. duos, pulv. Valerian. et Tanac. ana dr. unam, pulv. Tarax. unc. semis, Sal. Ammon. depur. dr.

semis, Oxymell. aquill. q. s., ut f. Electuarium molle. D. S. Cochleatim sumendum. — Insuper clysma ex decoct. Alth. c. Asa foetida conflatum. Inungatur abdomini unguentum vermifugum.

(Hujus virtutis sunt: Therebint. c. ung. simpl. commixta, unguentum nervinum, linimentum volatile, item Fel tauri etc.).

Nota. Quando sub insultu versatur epilepticus omnia, si quae adsunt cingula solvenda; praeterea strofium intra dentes ad praecavendam linguae laesionem; pollicea intorti relinquendi, ne, antequam saturationis punctum adipiscatur, insultus solvatur, quia perturbata aurae epilepticae explosione, haec in organismo magis accumulatur et proximus insultus ominosior incedere consuescit. Insuper varia odoramenta naribus admovenda, uti: Acetum, quo etiam frons et tempora essent lavanda, ejus guttula quoque ori immittenda.

CASUS XVI.

Aeger sanguinem ex ore ejicit; 40 annos natus, habitus cachectici; febres perpessus est intermittentes. Praesens morbus ingruit ante duos dies cum ejectione haematis ex ore; causam ignorat; nullis adhuc usus remediis. Caput non dolet, adpetit cibos, lingua modico obducta muco; respirium liberum; sub ejectione vomendi conatus et dolor ad oesophagi decursum; abdomen per totum ambitum extensum et contrectando observatur dolor et tumor in regione lienis; cetera normae congrua.

Diagnosis. Horum symptomatum syndrome pro Haematemesi alta clamat voce.

Therapia. Indicata erunt imprimis: Acida diluta, Adstringentia, frigus etc. ex quorum elencho sequentia ordinanda adnotavimus, *interne:* Decoct. tamarind. cum Crem. Tart. dr. duabus. S. O. ♃ hora coch. cib. duo frigide. — Potui inserviat sequens Julapium: Rp. Acid. sulf. dil. dr. semis, Syr. Rub. Idaei unc. unam, Aq. font. libr. duas. DS. potus.

Die proximo morbo exasperato quadraret: Rp. Rad. Tormentil. dr. duas; Coq. c. s. q. aq. c. p. ♃ h.; In Colat. libr. unius solve: Alum. crudi scr. duos. DS. O. ♃ hor. coch. cib. duo. — Praeterea gelatinam frigidam, confectionem glacialem sumat per vices.

Externe: Epithemata frigida regioni epigastricae imponantur.

Nota. 1. Ubi vomitus adest medicamen omni dimidia hora exhibendum, dosi tamen minori, ne vomitus augeatur.

2. Medicamenta libratim praescripta vasculatim, unciatim exhibita econtra cochleatim porrigenda.

CASUS XVII.

Cura virum 45 ann., constitutionis firmae, scribam, qui nullius recordatur morbi, alvum quando excipias pigram et dyspepsiam; a 5 mensibus capitis laborat doloribus et sacralibus, alvus fuit irregularis et pigra; — nunc cephalea vexatur occipitali, lingua et sapor naturales, adpetitus inor-

dinatus; respiratio libera; abdomen indolans, non expansum; urinam sanorum; sub nixus ad deponendam alvum ad limbum ani 3-4 nodi varicosi excreacunt, alvum scyballinam siccam sanguinis aliquid antecedit, qui deposita illa tamen silet; cutis conditio et pulsus normalas.

Diagnosis. Haemorrhoides.

Externe. Decoct. Gram. tamarindinat. cum Sale amar. et syr. Rubi Idaei O. 2 b. vasc. coff. semis. Potui inserviat aqua simplex egelida.

Diaeta: Juscula carnosa, oleracea, poma assata; motus in aero libero, puro; a vino et Coffea abstineat.

Inter alia medicamina, uti: Sapo medic., Gum. Ammon., Rheum, Taraxacum, Millef. etc. magnae virtutis practicis est frequens pulvis. Rp. Flor. Sulphur. dr. unam, Magnes. carbon., Cremor. Tart. ana dr. duas, Sacch. albi dr. tres. M. f. pulv. aeq. d. ad scat. S. Ter de die cocb. coff.

Nota. Si febris inflammatoria exoriretur, tundatur vena, — secus sanguisugae n.° 10-12 ad lymbum ani; — dein fomenta frigida; nocent calida congestionem adaugendo. — Ultimo nodulorum manu chirurgica instituatur incisio, emittatur sanguis coagulatus promoveaturque cicatrisatio,

CASUS XVIII.

Aeger dolore ventris laborans te in auxilium vocat. 38 ann., bajulus, habitus robusti et floridi, nullis vexatus morbis. Praesens morbus ince-

pit ante triduum cum dolore in abdomine, accedente febri et vomitu; causam credit esse laborem suum, sub quo pondus quoddam lavavit; hoc momento aliquam lacerationem in regione expertus est inguinis; illico a labore abstinere lectumque petere debuit; vomitu primo ingesta, dein materiam biliosam, amaram, viridem ejecit; alvus, licet et clysteres fuerint injecti, semper clausa. Modo capitis dolor, facies turgida, lingua muco albo tecta, sapor amarus, sitis valida, conatus vomendi; respiratio citata, anxia, brevis; abdomen expansum, sub tactu lenissimo dolens, praesertim circa umbilicum unde ad epicolicam extenditur regionem; ad inguen tangitur tumor magnitudinis nucis juglandis majoris, mollis, dolens et calens; pulsus febrilis; adhuc nullis usus remediis.

Diagnosis. Casui praesenti Enteritidis ex hernia incarcerata competere nomen Hippocraticae artis gnarum non latebit.

Therapia. Illico venaesectio ad libr. unam instituenda. — Usui interno inserviat Decoct. Alth. mannatum omni ½ hor. ad cochl. cib. duo porrigendum; si hoc non fertur, tum cum emulsione spuria ex Oleo amygd. dulc., vel ex oleo Ricini recent. prass. commutari posset. — Pro potu emulsio aliqua vera.

Externe. Balneum calidum universale, dein catapl. emoll. parti imponatur dolenti; nec non hirudines octo ad aliquam distantiam a parte inflammata adplicandae. — Clyster ex decoct. furf.

trit. c. oleo ad libr. semis omni bih. tepid. injiciendus.

Notae. 1. Si alvua pertinacissime obstructa esset, non salibus, sed Calomele aperienda.

2. In inflammationibus primarum viarum absint salea.

3. Depletionem baematis tres determinant casus: *a.* aut jubent venam tundendam vires et passio localis; *b.* aut non obsunt vires, expostulat autem adfectio localis; hic cum majori secatur vena cautela; — aut c. vetant vires, sed localis adhuc exposcit adfectio, quo in casu depletio praeferenda localis, uti: per hirudines, cucurbitas cruentas etc.

4. Sanguisugae semper in aliqua distantia a parte inflammata adplicandae, ne irritent.

CASUS XIX.

Cura vomitum in bibone 10 annorum; constitutione notatus gracili, temperamenti cholerici, faber scrinarius, sat laudabili gavisus salute; nunc a biennio male valet, a mensibus aliquot vomitu saepius recurrenti vexatur, cardialgiae obnoxius; qui olim vino abutebatur, nunc crematum bibit. Lingua aegri emaciati muco albo tecta, sapor normalis, adpetitus proatratus, ructus frequentes acidi, vomitu ejiciuntur ingesta et succus gastricus odoria subsalsi, saporis aegrotanti austeri; abdomen sub tactu rudiori dolet praeprimis in epigastrico dextro, ubi et sub exquisitiori tactu tumor tangitur nucis juglandis magnitudinem of-

ferens; alvus pigra, caprina; cutis aubsicca caloris normalis; pulsus naturalibus frequentiores, debiles.

Diagnosis. Scirrbus ventriculi in pyloro.

Therapia. Indicatio est Scirrbum solvere; hinc inter alia sequentia: Rp. Extr. Gram. et Tarax. ana dr. duas, solve in aq. com. unc. sex, adde: tinct. Rhei aquosae unc. unam. D. S. O. bih. coch. cib. 2.

(Huic mixturae addi possit liquor terrae fol. Tart. aut Sal Seignetti).

Ad vomitum sedandum potum Riveri:

I. Rp. Carbonat. Lixivae dr. unam. Div. in dos. aeq. n.° 3, d. ad chart. — II. Rp. Succi Citri unc. unam et semis d. ad vitrum. S. Solvatur dosis una de n.° 1 in aqua com., adfundatur ⅓ pars de n. 2 et sub effervescentia hauriatur.

(Eadem ratione et dosi Carb. Magnes. praescribitur).

Vel pulveres aerofores: A. Rp. Bicarb. Sodae, Sacch. alb. ana dr. unam. M. f. pulv. div. in dos. aeq. n.° tres, d. ad chart. — B. Rp. Acidi tartr. gr. xv. D. tales doses n.° tres ad chart. ceratam. S. Solutioni pulv. unius de A. in aqua addatur unus de B. et statim sub effervesc. hauriatur.

(Eadem ratione praescribatur Carbon. Potass. acidul.).

Externe. Rp. Unguent. Hydr. ciner. et ung. simpl. ana dr. duas. M. D. S. Semel de die ad magnitud. nucis avell. regioni tumenti inungendum.

CASUS XX.

Cura bibonem 45 ann., qui ab aliquot mensibus palpitatione cordis vexatur. — Constitutionis gracilis, temperamenti cholerici, ex nimio spirituosorum potu sibi saepe crapulam contraxit; cephalea per vices rediens, facies rubra, lingua pura, sapor normalis, respiratio vix accelerata, palpitatio cordis primo per vices redit, inprimis sub adscensu scalarum, sed nunc inducias amplius non celebrat; instituta juxta normam thoracis percussione pectus resonat; cordis palpitatio jam visu animadvertitur, vel tactu sentitur, ictus fortes, inaequales, pulsibus correspondentes, vibrat et carotis, uno verbo tota plaga cordis, scrobiculi et aortae descendentis in statu athenico versantur. Dum ad latus decumbit arteriae temporales, dum ad dorsum dorsales somnum pulsando arcent. Suspirium frequens et levamen adferens. Abdomen indolens, haud durum; alvus et urinae normales; cutis mollis transpirat; pulsus quidquam frequentiores, inaequales.

Diagnosis. Vitium in conformatione cordis et vasorum, cum tamen in bibone expansio praevaleat, ideo *Aneurysma* merito auspicatur.

Therapia. Rp. Elix. acid. Hall. dr. semis, syr. Rub. Idaei unc. unam, Aq. font. libr. unam et D. S. O. bih. vasc. coff. semis.

Diaeta. Maneat in lecto, non vociferet, abstineat a vino, et vescatur jusculis carnium, obsoniis et pane albo.

Magnae virtutis est hoc in casu Digitalis purp. in pulv. vel in infuso cum Nitro puro; tum sacch. Saturni; — Oxyd. Mangani etc.

APPENDIX

EXAMEN INFANTIS.

Cura infantem convulsum. — Cujus aetatis? Trium mensium. An vaccinatus? Omnino. A sanis parentibus? Ita. A qua lactatur? A nutrice. An haec sana? De nullo conqueritur morbo. An causa morbi a parentibus adsignari potest? Nulla (Ergo causa a medico est expiscanda). An nutrix errorem diaeteticum commisit? Nullum. An menstrua intrarunt? Non. An Venere excanduit? Non. An gravida? Non. An erapulam contraxit? Non. An ira excanduit? Multum. An illo tempore infanti ubera praebuit? Praebuit. An infans non cecidit, vel compressus, strictus, aut refrigerio expositus fuit? Nihil horum. Qualis aegri vultus? Turgidus. Status oculorum? Aeque. Quomodo se babent palpebrae? Clausae sunt. Quomodo vultus? Ab axi distortus. Qualis respiratio? Citata. An tussit? Non. Quale abdomen? Plenum. An vomitus adest aut diarrhoea? Vomitus nullus sed diarrhoea. An sub secessu faecum gemit? Ita. Qualis alvi conditio? Serosa, mucosa, cum bile viridi et particulis caseosis mixta, acidum redolet. Quid facit sub abdominis contrectatione? Motus automaticos edit, gemit, vagit et crura trun-

co adtrahit. An cutis calet? Ita. Quales pulsus? Frequentes, parvi, vix numerandi. An exanthema aliquod adest? Nullum. Vel suspicio contagii? Nulla. An convulsiones sunt vehementes et cujus conditionia? Subsultus et contractionea spasticae musculorum extremitatum, colli et frontis, absque intermissione a 3 horis durant.

Diagnosis. Suspicio de convulsionibus symptomaticis ex acidis primarum viarum in gratiam depravati per iram in nutrice lactis.

Therapia. Cum saburra deorsum versus tendat, ideo adjuvanda.

Interne: Rp. Aq. Chamom. Syrp. Cich. c. Rheo ana unc. unam. D. S. O. 2 hor. coch. cib.

Externe: Clysma ex decoct. furf. Trit. cum oleo, melle, aut sapone. — Item fomenta calida super abdomen. — Excitantia ad narea adplicanda, ut: Acetum, et frictiones siccae et balnea tepida cum cineribus adhibenda.

Cessante convulsione purgamus, ordinantea: Rp. Magnes. carb., Eleosacb. Citri ana dr. duas, Crem. tart. dr. unam. M. D. ad scat. S. O. 4 hor. coch. coff. unum. — Infans vero alii nutrici tradendus, vel et artificiali modo lactandus, aut nutrix prius repurgetur laxantibus a bile effusa.

Nota. 1. Si in casu dato saburra aursum versus tenderet, tum gula plumula irritanda, vel gr. unum Tart. emet. in unc. duabus aq. dest. simpl. solutum ori instillandum.

2. Sed posito, omnia nunc enumerata non accidisse, et infantem esse neonatum, tum sequen-

tia adhuc forent quaerenda: An meconium jam excretum? Qualis status funiculi umbilicalis? An hic bene ligatus? An rubeat, doleat vel inflammatus? An balneo jam purgatus sit infans.

3. Si vero 7-8 mensium esset, tum quaerenda circa dentitionem: An nutrix calorem persentiat ad papillam, si lactat? An halitus calidus? Vel foetidus? Utrum saliva uberius secernatur? An adsit propensio mordendi? An gingiva non rubeat vel tumeat? An prominentia ad marginem mandibulae observetur?

Examen puerperae.

Quale subjectum? An morbis aliis olim tentata? Quomodo graviditas transacta? An primipara? Quando peperit? An partus facilis? An sub partu laesa fuerit (manu obstreticis)? An secundinae rite secesserint? An illico post partum situs necessarius fuerit jussus, cruribus sibi adproximatis? An contra refrigerium defensa? An dolores in hypogastrio graviores, qui posthumi esse solent, persentiat? An femora torpida? An multum sanguinis aut seri ex genitalibus fluat? An genitalia morbo quodam adfecta? An puerpera consueto languidior? An aliquid sumserit de cibis, potulentis vel medicaminibus ipsi propositis? An caput doleat; an adsit appetitus, sitis, nausea, vomitritio, vomitus vel tussis? An libere respiret et in thorace nil doleat? An mammae tensae vel turgidae et harum papillae bene formatae? An abdomen tumeat vel doleat et maxime ad pubem, an

ibi tumor globosus? An alvus et urinae rite excernantur et quando? Qualis temperies et cutis conditio? Pulsus quales? An parvulum ipsa lactare desideret?

Quaestiones circa neonatum: An sit probe formatus (hinc denudandus)? An non ejulet? An os muco liberum? An frenulum linguae non sit nimis breve? An os possit adamussim adperire? An digitum immissum prehendat? An regulariter respiret? An funiculus umbilicalis probe resectus et ligatus? An orificium ani et urethrae apertum? Utrum jam emiserit alvum, vel de urina, vel de meconio? Cujus constitutionis; an satis pinguis et bene evolutus, vel macilentus et cachecticus? An labe cutanea adfectus? An illico post partum balneo immissus?

Quae medicus post partum circa matrem et infantem et sub statu physiologico observanda habet, sunt:

Situs—superiore corporis parte elevatus, femoribus adproximatis, sub tepore aequabili cubiculi et lecti; sit perfecte quieta, etenim puerpera tanquam vulnerata consideranda. — Quoad *victum* — jura tenuia, panatellae parcae sed frequentiores— potus sit tepidulus — aqua egelida cum pauxillo Syrp. rub. Idaei, item Syrp. cerasorum acidulorum vel ribisiorum; abstinentia a victu et potu stimulante; ergo a vinosis, aromaticis etc. — Solicite vitet omne animi pathema (hinc adstantes monendi) et praeprimis refrigerium, quare scopo alvi deponendae vas suppositorium in usum traba-

748

tur, ad urinas vitra peculiaria.—Si dolor exoriretur in abdomine, adhibenda fomenta sicca, calida etc.

Quoad neonatum: Cum primo momento matris ubera lac non suppeditent, vel alii nutrici (cum cautela) adponendus est neonatus, vel artificiali modo lactandus per lac vaccinum, infusum Verbasci cum lacte, vel papillis artificialibus ex emollito pane biscocto in lacte cum saccharo. — Ob meconium eliminandum leniter purgans vel Syrp. Cich. c. Rheo, vel Syrp. Mannat., vel Syrp. fol. Sennae. Ob cutis irritationem balneo cum decocto furf. tritici, quod cutim optime emolliendo depurat.

THESES DEFENDENDAE

I.

Ex quo vitam antea homo spiravit aere, mortem quoque frequentissime haurit.

II.

Vesicans in hydrothorace fontanellis praeferendum.

III.

Absque intellectus et rationis lumine animal quidem, quod hominis faciem induit, inter homines degere, sed nunquam homo in homine vivere potest.

IV.

Cerevisia bene parata et rite fermentata potum amoenum praebet, ut qui sitim fallit, nutrit et modice stimulat.

V.

Repentina dormientis ex somno excitatio eosdem, ac terror, effectus producere valet.

VI.

Post pastum quies conducit.

VII.

In febribus ante dies criticos prognosis incerta.

VIII.

Medico ex insomniis quoque divinare licet.

IX.

Natura per se saepe, ars sola nunquam sanavit.

770

X.

Vermes prodeuntes unicum de eorum praesentia signum certissimum.

XI.

Mater proli ubera denegans, sibi et infanti nocet.

XII.

Virginitas physica potest adesse absente virginitate morali, et contra.

XIII.

Status matrimonii naturae humanae maxime conveniens.

XIV.

Vita, sanitas, morbus, mors ejusdem sunt scaturiginis.